De
prospera Electione Regis
Poloniae
inter Varsaviam et villam Wola
a. Dni MDCCXXXIII
peracta
equitis Poloni ad amicum confidentem
Epistola.

DE

PROSPERA ELECTIONE
REGIS POLONIÆ

Inter Varſaviam & villam Wola

ANNO DOMINI MDCCXXXIII.

PERACTA

Eqvitis Poloni ad Amicum Confidentem

EPISTOLA.

Post deploranda & nunqvam satis dolenda Serenissimi AUGUSTI II. fata, qvæ tibi nuper jam satis accuratè descripsi, post justa & pompas Regiis funeribus JOANNIS III, AUGUSTI II. & Reginæ Mariæ Cracoviam transferendis impensas, finio jam librum Tristium; lætiora tibi de novi Regis Electione annuntians. Præterqvam verò qvod à me aliquoties flagitaveris ut tibi rem hanc verè atqve fideliter, uti testis oculatus describerem, impulit me ad id falsitas earum qvæ circa hanc rem publicis tabellis (qvas vulgò Gazettas vocant) continentur narrationum. Cùm enim ii qvorum intererat ne Electio hæc legitima, uti revera est, putaretur, tantam in occultanda veritate, inqvè spargendis rumoribus à veritate prorsùs alienis curam adhibuerint, cùmqve pagellæ illæ typis vulgatæ omnium jam terantur manibus fidemqve apud non paucos, viros alioqvin bonos, inveniant, operæ pretium duxi fidelem atqve nitidam instituere narrationem eorum qvæ ipsemet vidi atqve audivi cùm nuper Varsaviæ Electioni Regis interessem.

Magni certè momenti est hæc Electio, incomparabile factum & æternâ memoriâ dignum, adeo ut fastis nostris inscribi justissimè mereatur, documento planè singulari & ex-

exemplo posteris futurum Deum O. M. Regnum hoc à vicinorum oppressione liberasse; libertatem, qvâ præ cæteris gentibus gloriamur nobis integram conservasse, ad hæc vota atqve consilia tot gentium moribus, studiis, voluntatibus disjunctissimarum ita coadunasse ut numerosissimus hic Elector populus unius labii esse videretur: adeo ut vix ullum à Deo beneficium ad laudem gentis Polonæ illustrius, ad conservationem Polonæ libertatis dari qveat efficacius.

Cùm ergo advenisset adeo ardenter exoptata dies qvam Comitia Convocationis Electioni inchoandæ præfixerant, dies inqvam S. Ludovico Galliæ Regi sacra, omen inde fuit in populo felicis eventûs. Confluxerant Varsaviam ex remotis etiam Provinciis Senatores, paucis qvibusdam exceptis senio vel ægritudine laborantibus. Eqvestris ordo Jure eligendi Reges gaudens, sub militaribns signis in numerosas cohortes divisus incedebat: ac omnia sibi læta & prospera pollicebatur. Horâ nonâ Primas Regni plurimis ex Sacro & Sæculari Senatu comitantibus, numerosâ præeqvitante nobilitate, & claudente agmen pedestri militiâ adiit Templum S. Joanni sacrum, ubi invitatus Nuntius Apostolicus sacra peregit, ut ab invocatione Spiritûs Sancti tantum negotium inchoaretur. Adhortatus est præsentes comptissimâ concione Episcopus Chelmensis, qvi acceptis pro themate his verbis: *Homo qvidam nobilis abiit in regionem longinqvam accipere sibi regnum.* Non minus zelosis qvàm solidis argumentis ad concordiam, qvâ solâ in hoc periculoso Reipublicæ statu interna felicitas & externa securitas constaret, animabat.

Itum est deinde ad septum conventibus Procerum in campo cis Vistulam dimidio Varsaviâ milliari destinatum, securitateqve publicâ sacratum, ubi Senatus solitum suum locum sub tecto ligneo, circumcirca ligneis fulcris superstructo, eqvester verò ordo suum itidem aggere circumdatum locum sub dio occupavit.

Peractâ

Peractâ salutatione Nuntiorum Massalscius Notarius Magni Ducatûs Littvaniæ præcedentium Comitiorum Director (Mareschallum vocant) svasit Eqvestri Ordini ut sese ad Electionem novi Directoris accingeret. Sed motis hinc inde qvæstionibus de modo novæ Electionis faciendæ, an scilicet nobilitas viritim, an per Palatinatuum delegatos suffragia daret; deqvé juramento nondum per omnes Palatinatus super exclusione extraneorum ad Regnum Canditatorum præstito: cùm varii in varias irent sententias, ad Principem Wisnioviecium Exercitûs Littvanici Imperatorem, seu *Regimentarium* ut vocant, in Senatu existentem Littvanus qvidam accessit, de irruptione in Littvaniam Copiarum Moschoviticarum, qvæ in Oppido Kieydany subsisterent, tristia nova ferens. Varios movit sensus hæc inexpectata notitia. Qvosdam metus, qvosdam indignatio, multos incredulitas & admiratio hæsitabundos reliqvit, præsertim cùm priùs de Moschis in visceribus Littvaniæ jam hospitantibus, qvàm de eorum in limites Littvaniæ irruptione rumor promulgaretur. Omnes invasit tanti ausûs horror. Pugnandum nonnulli prius qvàm consulendum: alii differendam potius Electionem qvàm sub armis peragendam, significandum id Ministris Moschoviticis; veritatem explorandam esse, nec dandam incertis rumoribus fidem alii opinabantur. In hac opinionum diversitate effluxit prima dies & Sessio in crastinum indicta est. Consumptæ sunt deinde plures dies tam ad sedandum populi fervorem ac excipienda Concurrentis ultra ex variis Palatinatibus Nobilitatis juramenta super exclusione Extranei à Regno, qvam ad componendam æmulationem inter Succamerarium Posnaniæ & Præfectum Opocinensem exortam ob dignitatem Directoriam eqvestris ordinis qvæ tandem die secundâ Septembris collata est Succamerario, numerosissimis votis in hunc dignissimum virum, raro admodum exemplo coadunatis. Subsecutæ sunt deinde mutuæ ab invicem

vicem Statuum Senatorii & Eqveſtris per Delegatos de Electo Mareſchallo Comitiorum denuntiationes, gratulationes, ad ſtatuum amborum conjunctionem invitationes, tum deputationes ad judicia ſeccritatis, ad Conſcribenda Pacta Conventa ad *exorbitantias*, ut vocant (†) connotandas & corrigendas.

Eo temporis intervallo trans Viſtulam ſe contulerat Princeps Wisnioviеccius M. Ducatus Littvaniæ Cancellarius ac Supremus Littvanæ militiæ Præfectus, tum & Palatinus Cracovienſis; qvos Epiſcopus Poſnanienſis ſecutus eſt: cùmqué invitarentur ut publicis ſua qvoqve jungerent conſilia; repoſuit Princeps delegatis ad ſe Senatoribus, ſe nullatenus velle impedire Electionem: Viſtulam trajeciſſe non alia de cauſa quam majoris commoditatis: Pragæ in ſua curia commodiorem ſe habere habitationem, tum qvoqve abeſſe ſe à conſilio ne daret occaſionem Nobilitati ad invectivas turbasqve concitandas prout id in ultima Seſſione expertus fuerat, hâc ſcilicet occaſione.

Sleſſynius è qvodam Palatinatu Nuncius ac Cohortis Colonellus cùm de ingreſſu Roxolanarum Copiarum in Littvaniam nihil aliud præter vulgarem famam audiviſſet, multiqve excogitatum id fuiſſe ad accelerandam Electionem pro certo haberent, adiit in Senatu exiſtentem Principem Wisniowieccium, certior reddi cupiens, num hoc revera ita ſe haberet? cumqvé à Principe reſponſum illi eſſet, pro certo jam Moſchos in loco Kieydany dicto ſubſiſtere, Sleſzynius regeſſit mirari ſe qvod Exercitus Littvanicus, cujus Princeps Ductor eſſet, in ipſis confiniis Littvaniæ Moſchis non re-

(†) *Id qvod Poloni in Electione Regum* EXORBITANTIAS *vocant, conſilium eſt ex certis à Republica ex utroqve ordine deputatis formatum qvod omnes abuſus contra leges & Statuta ſub præcedenti regno introductos tollere & ad orbitam reducere in conceſſo habet.*

restitisset? Exacerbato per hoc responsum & indignabundo Principe, Sleszynius à Principis clientibus & turba adstantium contumeliis & pugnis affectus, qvin à qvodam eorundem clavâ militari facies ejusdem cæsim vulnerata est. Violentus hic actus omnium perstrinxit animos, tantâ inter Nuntios excitatâ indignatione, ut Princeps securitati suæ consulendum ratus, aut, prout alii existimant, ad proseqvenda sua intenta occasionem arripiens, à campo Electorali abire & Pragam trans Vistulam se conferre secum constituerit.

Auxerat, ut jam dixi, numerum eorum qvi illuc se receperant Episcopus Posnaniensis, qvi percunctatibus delegatis qvare id fecerit, respondit se privatis rationibus adductum ab Electione recessisse, Electionem interim præpedire se nolle, & Neo-Electum, qvisqvis ille fuerit, pro Rege recogniturum. Palatinus Cracoviensis manuteneri suam particularem Confœderationem Cracoviensem, (qvâ neminem nisi Polonum in Patria habitantem & æqvalitate gaudentem ad Thronum se promoturum juraverat) postulabat ejusdemqve defensionem non tantum à Palatinatu Cracoviensi sed à tota etiam Republica pollicebatur. Itaqve irritæ omnes Delegatorum persvasiones, certioresqvé de ulterioribus miltis Moschovitici progressibus rumores rursus commovebant Electorem populum. Oriebatur inter Palatinatus fortis suspicio hos omnes qvi se ab Electione absentaverant, in conducendis Moschis aliqvam partem, communiaqvé cum iis Consilia habuisse. Concitavit hæc suspicio Nuntios Palatinatuum ut acriter urgerent, ut Authores Moschoviticæ invasionis investigarentur. Eo verò id fortius illi urgebant, qvòd ipsimet Cæsareus & Moschovitici Ministri jactitaverint & in qvodam scripto per modum manifesti edito publicaverint, tum & ipse Campi-Ductor Moschorum *Lesse* expresserit in Literis Universalibus cùm Littvaniam cum Exercitu ingrederetur, datis; Moschos non proprio ausu fines Polo-

niæ ingredi, ſed à compluribus Senatoribus & Nobilibus pro-tuenda libertate ardenter exoratos & conductos fuiſſe. Exaſ-peravit id & acuit zeloſiſſimæ Nobilitatis fervorem concluſumqve in campo ut conſcriberetur Manifeſtatio (†) nomine totius Reipublicæ contra invaſionem Exercitûs Moſchovitici, ut per eam palam omnibus conſtaret qvinam è Polonis fautores & introductores eorum fuiſſent. Ex univerſali ergo conſenſu Status & Ordines Manifeſtationem fecerunt, omnesqvè Senatores, Miniſtri & eqveſtris ordo eam ſubſcriptionibus ſuis firmaverunt & roborarunt, iis ipſis, qvod vel maximè animadvertendum eſt, ultro concurrentibus, qvi Pragam primi ſeceſſerant, Principe ſcilicet Wiſniowieccio ac Palatino Cracovienſi cæteriſqvè, ut ex eorum ſubſcriptionibus, qvas ad calcem dictæ Manifeſtationis, qvam his adjungo reperies, manifeſtum eſt.

infra

Delegati tunc ſunt aliqvi ex Senatu ad Miniſtros Moſchoviticos qvi eos de manifeſtatione à tota Republica facta commonerent, ac copiarum, Roxolanarum regreſſum urgerent.

Hæc manifeſtatio licet aliqvantum irritatos Electoris populi animos ſedaſſet, conceptaſqve contra nonnullos è Senatoribus opiniones & ſuſpiciones non tam omnino ſubmoviſſet qvam aliqvantulum deliniviſſet, Ordo tamen eqveſtris plurimum inſtitit ut Electio qvam primum cocluderetur, integritatem libertatis, ſecuritatis ſpem, unionis vinculum in acceleratione Electionis conſiſtere aſſeverans. Plurimi Palatinatus urſerunt Regni Primatem, ut diem Nominationi præfigeret, rati non eſſe tamdiu expectandum, donec appropinqvantes Moſchi legem darent. Cùm vero ille ab univerſorum id voluntate dependere reſpondiſſet: die ſeqventi aliqvot Palatinatus caſtra moverunt. Lectæ qvoqve ſunt in campo à *Czarea* Majeſtate Literæ ad Rempublicam datæ,

ſed

ſed qvod Sereniſſimi Electi *excluſionem* præſeferrent, Eqveſtri ordini minùs gratæ ſuere. Poſtridie præeunte heſterno exemplo plures alii Palatinatus ſtationem fixere in campo. Nuntio Apoſtolico de Merlinis Paulucio copia data eſt publicæ admiſſionis & audientiæ, in qva detulit paterna vota & Apoſtolicam benedictionem Romani Pontificis, id unicè exoptantis ut Rex Catholicus unanimiter eligeretur. Is æqvè in acceſſu ac regreſſu qvadrigis plurimis, uti fieri ſolet, comitatus, honorificè admodum exceptus & auditus fuit: ac tandem ut repetitis reqviſitionibus Ordinis eqveſtris ſatisfactum eſſet, dies pro exqvirendis Palatinatuum ſuffragiis deſignata eſt. Contradixerunt qvidam expoſcentes ut prius *exorbitantiæ* finirentur, qvàm ad Electionem accederetur, ſed cum id ægrè admodum fieri poſſe omnes animadverterent, ut iidem qvi erant in maximo numero ex ſingulis Palatinatibus deputati, & oneri impoſito in pertractandis exorbitantiis ſatisfacerent, & campo Electorali aſſiſterent: veteri & in omnibus hucusqve Electionibus, ac nuper in Comitiis convocationis vſitatâ ratione, *exorbitantiæ* ad Comitia Coronationis remiſſæ ſunt. Deinde ab Exercitu Regni deputati, publicâ oratione fidelitatem ſuam, & ad defendendam Rempublicam promptitudinem detulerunt. Appropinqvante termino, cum omnes Palatinatus ad campum Electoralem numeroſiſſimè confluxiſſent: Primas Regni, præmiſſo Himno de Spiritu Sancto, obeqvitavit ſingula Palatinatuum agmina per omnes Terras & Diſtrictus, exqvirendo Electoris populi ſenſus, qvem ſibi vellent Regem nominari. In multis Palatinatibus Nobilitas moræ impatiens, anteqvam à Primate interrogaretur, exclamabat: *Vivat STANISLAUS.* Qvidam ad ſenſum pluralitatis ſua vota detulere. Aliorum qvorundam Diſtrictuum Nobiles, cùm in favorem alterius Candidati, ſcilicet Principis Caſtellani Cracovienſis ſuos calculos dediſſent, ille autem innatâ magnanimitate Primati innuiſſet, ſe de æterna Corona cogitare, terrenam non

 concu-

concupiſcere; imo, ſi aliqvid inde emoulmenti ſuæ patriæ eveniret etiam Senatoriæ Dignitati ſe lubenter renuntiaturum aſſereret; ad perſvaſiones Primatis & aliorum Senatorum, ut inter ſe eſſent unanimes, à ſuo receſſerunt intento. Per octo integras horas, pluvioſo admodum cælo, hæc duravit circum eqvitatio, pauciqve qvidam Palatinatus remanſerunt, qvi cùm deficiente die à Primate adiri non potuerint, ad alteram diem ſuffragia ſua diſtulere.

Adventante demum decretoria die duodecimâ Septembris, nihil de voluntate & ardore animi remiſit nobilitas; expedita ſunt reliqvorum Palatinatuum uniformia Suffragia: à multisqve conclamatum eſt, actum de Republia eſſe, niſi *STANISLAUS* Rex proclamaretur.

Advenerat jam tunc ultra ſpem omnium Sereniſſimus hic Candidatus, & à nocte qvintum Idus Octobris præcedente, qvâ Varſaviæ pedem fixit, in Palatio Marchionis *de Monti* Legati Regis Chriſtianiſſimi, ſecretò permanſerat. Id verò cùm nemini prorſus notum eſſet, ſumma omnes admiratio cæpit, cùm ſeqventi die, qvinto ſcilicet Idus Septembris Legatus Galliæ palam dixiſſet, Gedano ſibi per tabellarium conſultò miſſum ſignificatum fuiſſe, Claſſem Gallicam, in qva Sereniſſimus Candidatus navigare ab omnibus credebatur, non longè ab hac urbe in mari conſpectam, in horas ad littus appulſuram ſperari. Alterâ die, alterum ad ſe emiſſarium veniſſe ſignificavit idem Legatus, per qvem ſibi conſtaret Regem *STANISLAUM* navi egreſſum, Gedano greſſus moviſſe, & inter Thorunium & Varſaviam deciſionem Reipublicæ præſtolari. Demum die Veneris ſeqventi, cùm idem Miniſter Primati rem, ut erat declaraſſet, Sereniſſimum *STANISLAUM* ſiclicet jam eſſe Varſaviæ, cùmqve eâdem die Princeps hic per hortos ſuburbanos deductus in Templo Sanctæ Cruci ſacro publicè ſe videndum præbuiſſet: vidis-

vidisses tunc summæ admirationis, summo gaudio permistæ jucundissimos effectus. Vix Princeps ædem Sacram intraverat, hominum præsertim verò nobilium incredibilis multitudo concurrit; felicem se unusqvisqve existimans si ei vel Principis manum aut fimbriam osculari, vel amplecti pedes, vel certè faciem intueri concederetur. Cæterùm qvod maximæ admirationi fuit omnibus, erat secretum illud fidelissimè servatum, cùm Serenissimus Candidatus, qvi ab omnibus conscendisse classem, unicè occultandæ rei causâ instructam credebatur, iter per tot, tamqve diversas regiones ignotus perageret, qvod qvé ea ipsâ, qvâ opportunum erat die Varsaviam appulerit. Ejus porro adventus tantum in Electore populo ardorem excitaverat, ut vix nobilitas cohiberi potuerit, qvin eum, prætermissis gradibus, Regem proclamaret.

Qvatuor potissimum non tam districtus, (Eqvester enim ordo optimi sensus erat) qvam Districtuum Ductores in diversas visi sunt ire sententias: Præfecti nimirum Opocinensis, Osviecimensis, Inovladislaviensis & Leduchowscius unius cohortis in Palatinatu Volhyniæ ductor: sed re maturiùs consideratâ, minimè impediendam esse Nominationem censuerunt, *permissivè* se, ut ajunt, circa illam tenentes: ac tandem perpenso unanimi tot millium Electorum consensu, Præfectus Opocinensis literis (*) qvas tibi in Latinum fideliler translatas, adjungo; reliqvi coram, Regem salutarunt, & Electionem feliciter peractam gratulati sunt.

(*) *Vi[...] infra No.* [...]

Contulit se interim Primas Regni intra vallum, missiqve inde iterum Delegati Pragam, ut Senatores à campo Electorali absentes, qvorum numerus per secessionem Episcopi Cracoviensis, Palatinorum Inovladislaviensis, Culmensis & Czer-

Czerniechoviensis erat auctus invitarent; reluctantes rationibus, persvasionibus, precibus inducerent ad assistendumNominationi. Cùm verò interim Primas Regni cum Senatu & Palatinatuum Nuntiis, reditum Delegatorum Senatorum expectando moram ageret, datâ per qvendam Officialem Pragâ redeuntem notitiâ, Delegatos nihil qvid qvam ibi persvasionibus suis evicisse (qvod venientes postea delegati confirmavere) conclamatum pluries à Nobilitate fuit, ut Primas Regni ulteriorem temporis non faceret jacturam, nominaret Regem, vel ipsis hunc permitteret proclamationis honorem. Auctus sensim fervor: jam volitantes in aere pilei signa impatientis lætitiæ præseferebant; diversis in locis voces postulantium resonare, jam jam & tumultus oriri cæpit. Primatem & precibus & minis obsecrare plurimi, ne moraretur publica vota, non comparentes in campo Electorali pro absentibus reputaret: libertatem in hoc qvoqve consistere ut etiam ab Electione liceat abesse, cuicunqve libet: Nullum utiqve ex tot millibus esse in campo, qvi Electioni contradicat; absentes & jure & ratione excludi; tacentes pro consentientibus reputari debere.

Motus è sua curuli Primas & in medium à multitudine protrusus, cùm amplius resistere turbæ & impatientiæ populari non posset, semel atqve iterum interrogavit an universalis esset consensus ut Rex nominaretur? Obstitit qvidam Kaminscius eqves Volhyniæ aliqvibus stipatus collegis, nec tam contra Candidatum nominandum, qvàm ut ad diem crastinam Nominatio differretur, suum interjecit *Veto.* Vidisses tunc singulare libertatis Polonæ specimen. Unus nobis Kaminscius rem perdidisset, populiqvé generalia vota retardasset, nisi tandem victus precibus, obsecrationibus, adjurationibus ne gaudia nostra moraretur, rationibus insuper qvod duo imminebant subseqventia festa, qvodqvé appropinqvantes Moschoviticæ Copiæ præsens remedium, prompttumqve

tumqvé præsidium exposcerent, annuisset votis, assensumqvé suum universali sententiæ conformem præbuisset.

Et ita nemine prorsus reclamante aut contradicente (quod etiam tibi ex adjuncto Testimonio * Episcoporum tunc præsentium liquidò constabit) in unione mirabili votorum, in unanimitate vix ex hystoria præteritorum interregnorum, multominus memoriâ hominum cognita; semel, iterum, atqve tertiò per Primatem Regni universali expetito consensu, nominatus est, à supremo verò Regni Mareschallo proclamatus Serenissimus STANISLAUS I. in Regem Poloniæ & Magnum Ducem Littuaniæ, statimqvé Himnus: *Te Deum Laudamus* flexis genibus in campo decantatus est: tormenta bellica Varsaviæ ex mandato supremi rei tormentariæ Præfecti Braniccii explosa, clangores & sonitus tubarum ac tympanorum per Palatinatus auditi: centies millies repetitum VIVAT, & innumeri sonitus resonuerunt portatilium fistularum, qvæ incaute à nobilium famulis directæ, cùm plumbeis globulis instructæ essent, qvosdam vulnerarunt: præcipuè dolendo fato Haleccius Rzecicensis Præfectus à suo proprio commilitone signa lætitiæ demonstrante globulo trajectus est, ne deesset communi lætitiæ pedisseqvus gaudii luctus.

* Vid... fra No.

Finitâ pomeridianis horis publicatione Electi Regis, Primas & complures Senatores ac Nuntii ad salutandum NEO-Electum Regem in Palatium Marchionis *Monti* Gallici Legati iter direxerunt. Ibi Primas præ gaudio & lassitudine non diu moratus, brevi sed nervosâ oratione, nomine Reipublicæ Regem salutavit, & pro solenni gratiarum actione invitavit ad Ecclesiam, qvo concomitantibus Senatoribus, ac præeunte sub signis militaribus nobilitate itum est. Regem in Ecclesiam descendentem, innumerabilis, qvi astabat populus vix aspexit, statim pluries acclamatum Vivat Rex,

 Canti-

Cantico *Te Deum* per Primatem inchoato, orationibusque peractis Rex Serenissimus deductus est ad arcem; deputavitqve plurimos ad omnes Palatinatus Senatores qvi pro unanimibus votis & suffragiis gratias referrent, animi Regii oblectamentum, gratiqve animi signa commonstrarent. Iis verò, qvi ad latus suum à Palatinatibus erant Delegati, ipse Rex cum summa bonitate & affabilitate respondit. Attrahebat hæc Serenissimi Regis comitas velut magnes corda populi: cùm habitu, lingva, voluntate similem suum qvisqve Regem, qvem elegerat, adoraret.

Tertiâ post hæc die (nam duo dies festi intervenerant) Comitia Electionis in loco solito Arcis Varsaviensis feliciter finita: præmissa à Primate Regni, de periculo imminenti deqvé modis Rempublicam salvandi oratione; ac post multas adhuc Littuanorum disceptationes, Mareschalli Ordinis Eqvestris valedictione, & pro credito sibi hoc munere, solenni gratiarum actione. Denuntiatoriæ Literæ Novi Regis Electi publicatæ. Ad latus ejus delegati à Palatinatibus Nuntii, ut in hoc turbido & periculoso Reipublicæ statu, præsto sit consilium. Deinde *Pacta Conventa* in Conclavi Senatûs magno motu perficiebantur, ob diffidia Littuanorum, qvi stipendia militi solvi solita omnino immutare satagebant: & licet hoc nihil prorsus ad pacta spectaret; Rex enim sine assensu Reipublicæ nulla imponere vel immutare potest pro exercitu subsidia: pervicaciter tamen Nuntii, aliqvot dies in hac re absumpsere; forsan prætextum hunc ad avertendos à Rege Littuanorum animos suppeditantibus iis, qvi Pragæ adversa bono publico formabant molimina: iidem enim tertia post Electionem die miserunt Palatino Vitebscensi *Manife-*
Vide in- *stum* (cujus tibi copiam facio) non subscriptum nec authen-
No. IV. ticum; ex cujus contextu facile advertes, alienos eorum ab unione, pace & tranqvillitate animos magis, passione, qvàm ratione duci in præceps.

Elapsis

Elapsis aliqvot diebus, ac subscriptis Pactis Conventis Sereniss. Electus in Templum Sancti Joannis à Senatu deductus, absoluto per Primatem Missæ sacrificio, genibus flexis, Pacta Conventa Juramento firmavit, deinde à Primate & Mareschallo Electionis salutatus, oblatum sibi Diploma, seu Decretum Electionis accepit, ac in Arcem Varsaviensem eodem Ordine, præeunte & Scipionem demissum præferente Supremo Mareschallo, reductus est.

Omnibus ita peractis remissi Palatinatus omnes unde venerant, domum reversi sunt, compotes votorum & lætabundi, quod talem elegissent Regem, qvi antiqvitate Prosapiæ, Sangvinis cum Christianissimo Rege nexu, virtutum decore, usu regnandi, experientiâ militari, nemini secundus, ipsis etiam adversitatibus exercitatior, duplicatis populi sui meruit proclamari oraculis; in quo nec pietas, nec bonitas personata, authoritas gravissima, comitas incomparabilis, justitia flecti, clementia superari nescia, ex arena consilium, magnanimitas fastu carens, omnesqvé Regiæ virtutes sedem sibi fixere.

Libeat ex præmissis intueri Divinæ voluntatis, & erga nos benignitatis documenta: Regem non casu & fortunâ, non cæco vulgi impetu, non temerè & incogitanter, sed inspirante cælitus gratiâ proclamatum. Qvis etenim, considerato felici præter spem ac expectationem hujus Electionis eventu, miram DEI Providentiam non admiretur? Qvis diffitebitur, dexteram Domini fecisse hæc mirabilia? & si circumstantiæ sigillatim perpendantur, ut videlicet servata in hoc usqve tempus Neo Electo Regi Serenissimo vita & salus: felicissimum momentum, quo in conspectum se dedit Electoris Populi, ejusqvé animos & gaudia confirmavit: Qvis negabit

negabit opus hoc non humanâ ſapientiâ, ſed DEI digito moderante, & conſilio & effectui datum eſſe! Primatis plusqvàm ſeptuagenarii vix è periculoſiſſimo morbo convaleſcentis labor ætate & viribus longè ſuperior, certe admirationem omnium meretur.

Iter Sereniſſimi per tot & tanta pericula feliciſſimè peractum, inexpectatus ejus & improviſus pro ipſo termino Electionis adventus, non minorem meretur conſiderationem, qvam ſtuporem, & qvid dicamus de aliis cauſis mira concatenatione connexis ad Electionem concurrentibus?

Qui ſe à campo Electorali abſentaverant, licet ſui propoſiti in efformanda ſciſſione tenaciores, in conſcientia tamen convicti fuerunt, nihil illegitimè aut injuſtè ibidem factum fuiſſe; pavida ideo & diſcrepantia inter ſe conſilia, ad nullumqve certum directa habuere finem. Extranearum Potentiarum minitantes Polonæ Libertati ictus, majorem Libertatis demonſtrandæ occaſionem præbuerunt, liberosqvé non poſſe cogi à qvopiam animos demonſtrarunt.

Miniſtri Principum male Nobis affecti in ipſo Regni centro tolerati, in perditionem Libertatis qvaſi conjurati, ipſo numero metuendi, qvid qvæſo animorum diſtractionibus, rationibus in ſcriptis publicatis, pollicitationibus, corruptionibus, omnibusqve etiam minùs licitis modis effecerunt? Polonam experti ſunt certè conſtantiam, & juviſſe potius Electionem Piaſti, qvam ei nocuiſſe viſi ſunt.

Ex noſtris Polonis & Lithvanis, varii ſcripta plurima, rumo-

rumoresqve in vulgus sparserunt, per Provincias cursitando suspiciones & diffidia auxerunt & nutriverunt, alios gratæ mentis testificationibus, qvamvis interdum solummodo ad speciem compositis allicientes, sed nec hæc impunitas ullum Electioni attulit incommodum.

Eqvestri Ordini ante omnia libera Electio curæ cordiqve erat, ingens ipsi inclinatio animi in regimen Piastorum, qvo firmato nihil ulterius desideratum; non spectata commoda, qvæ ab Extraneis offerri potuissent; sed sola Principis virtute æstimatâ, ad Electionem hanc, ultima eaqvè felix admota manus. Qvid verò in toto hoc negotio maximè mirandum veniat, an imperterrita Lithvanæ Nobilitatis corda? qvorum uxores & cara qvævis pignora ac fortunæ omnes hostium voluntati furoriqve erant obnoxia? an Senatûs in rebus gerendis dexteritas? An Primatis infatigabilis labor? an Eqvestris Ordinis zelus? ne in Electione Candidati à vicinis exclusio ullo modo haberet locum, tanqvam plenam libertatem coarctans conditio? An verò nunqvam satis deprædicanda animorum unio? jam disqvirere nolo. Sed vellicat mihi aurem manifestatio Pragensis speciem præseferens omnem hanc Electionem in scissa Repu-blica peractam fuisse. Jam vero ex adductis, falsitas assertorum, qvæ in modo dicta continentur manifestatione palam est, & argumenta qvæ in contrarium afferuntur, veluti sclopororum internecionis causâ explosiones, violenter interdictæ Nobilium voces, & his similia, ejusmodi sunt, ut non sine rubore in medium proferri, probari profectò nullatenus possint.

Jam superius ex ipsa relatione veritati consona abunde constat de contrario, patetqve luculenter, in præsenti Ele-

 ctione

ctione Electoralem Campum certò certiùs unionis non ſciſſionis fuiſſe locum. Hi enim qvi diverſa ſentiebant, è congregato & unanimi Reipublicæ gremio Pragam ſe ſubtraxerant.

Nominationis facies non triſte ſpectaculum, ſed lætiſſima fuit ſcæna, plenum gaudium præ ſe ferens, niſi ipſam metus adventantium Moſcorum turbaſſet, qvi potius cauſavit, ut Electionis tempus per Comitia Convocationis conceſſum, abbreviarentur.

Exorbitantiæ ad aliud tempus veteri & in omnibus hucusqve Electionibus uſitatâ praxi dilatæ; Candidati talis, qui oppreſſam Rempublicam ſalvare poſſet, non à qvibusdam impoſitio, ſed propoſitio, & ab omnibus acceptatio, vel ſolo hoc omiſſis cæteris argumento, ne per excluſionem externarum potentiarum iis minùs gratæ perſonæ, ſemel infracta, in futurum totaliter deprimatur eligendi Regis pro libitu nationis Libertas; inde comminationes excidii contra adhærentes Moſchis, per Manifeſtum publicum à qvàm plurimis jam modo adverſantibus ſubſcriptum factæ, in generali originem duxêre.

Si ad objectam impracticatam Electionis formam, præjudicia Legibus facta, libertatis ſpeciem non obſervatam, numerum perſonarum abſentium, partem ſat magnam Reipublicæ repræſentantem, Proteſtationes in campo Electorali multorum non attentas, â nominatione Regis plurimos excluſos, reſpondendum eſſet, veritas priùs horum aſſertorum probari deberet: ſed in qvo jactitata hæc impracticata Electionis forma conſtiterit, ille judicet,

qui

qvi omnia interregna & Electiones anteactas cum præsenti penitius conferre voluerit. Qvibusnam specialiter legibus præjudicia facta sint? Non sufficit generaliter exprimere; addendæ fuissent leges, qvibus injuriam factam esse venditatur. Id certum est, huic legi contraventum esse, qvæ jubet contra eos consurgere, qui Confœderationis vinculum ex ratione privatorum commodorum rumpunt, Rempublicam scindunt, inimicos fomentant, &c. Sed numne hæc gratia Electoris populi fratres suos ad meliorem frugem redituros sperantis, ipsi jammodo oneri esse debet?

Numerum personarum Rempublicam Pragæ repræsentantium qvod attinet, clarum est, paucos Senatores, vix aliqvem ex Nobilibus extitisse, qui Regem STANISLAUM non elegerit: Nunc jam forsan numerus augetur adversantium, cùm Moschoviticus Exercitus, qvos sponte non potest, armis in sua vota trahat.

Non minùs contradictorium est, qvòd protestationes multorum non fuerint in campo auditæ: qvomodo enim audiri poterant, si, ut manifestatio sonat, libera vox fuit oppressa, comminationes excidii etiam constantibus viris metum incusserunt, rumor framearum voces impedivit, ora manibus obtusa, explosiones hostili modo factæ, Palatinatus qvidam ab aliis injuriâ affecti fuerunt: atqui Elector populus dominationi ejusmodi certò certiùs qvàm acerrimè se opposuisset, nec unqvam permisisset ut circa curas pro omnium salute indefessas Reipublicæ aliqva pars tale caperet detrimentum. Non ergo Respublica in culpa est, quod ii qui se Pragam contulerant, in campo Electorali non comparuerint, omnino

 enim

enim ipsis permissum fuisset opponere se, & pro libitu suo protestari, prout id tentárunt plurimi, sed postea victi amore patriæ & concordiæ, à protestationibus recesserunt.

Sed obiicitur qvòd securitas personarum, liberaqve vox vetandi in campo Electorali fuerit denegata. Sed quisnam non videat speciosum hunc solummodo esse prætextum? Cuinam quid adversi, licet adversanti, in campo accidit? Poterat Kaminscius in ipso æstu votorum nominationem sistere? Poterant Districtuum Præfecti, Capitanei scilicet Inovladislavien: Opoczynen: Oswiecimensis & alii liberos suos sensus & suffragia in alium Candidatum conferre, qvis nam illorum periculum vitæ vel libertatis subiit? Fremebat Nobilitas, terrebat, intentabat minas; sed in qvos & quando? Certè tum maximè, cùm qvorundam secessus Pragam, suspiciones de cointelligentia cum Moschis excitasset, ac in eos solùm qvi contra datam juramento fidem Piasto eligendo oppositiones struebant & contrariabantur; qvi Moschoviticæ irruptionis conscii vel authores exstiterant; qvi secretis machinationibus exterarum potentiarum velut instrumenta, voluntati ipsarum famulabantur; qvi patriæ Libertatem jugo alienigenarum metu vel donis submittere omnino satagebant. Sibi ipsis ergo imputent, qvi Electoris populi indignationem meruêre: qvòd eos prava conscientia à conspectu Reipublicæ abduxerit, ac à nominatione excluserit, non Respublica, non alius qvisqvam, sed illi ipsi hanc in se commoverunt tempestatem.

Abfuisset licet hic malè provisæ securitatis perso-

narum ac oppressæ liberæ vocis, (quæ tamen nescio quam jacturam, & qvando passa fuerit) prætextus; facile alius qvispiam inveniri potuisset, ut diversa studia, & mancipatæ alienis mandatis voluntates, pallio Libertatis cooperiri aliqvatenus viderentur.

Evolvamus ante acta interregna: Prætextuum colores nunqvam defuerunt, male de Republica sentientibus, & rei privatæ magis qvàm publicæ studentibus.

Licet verò omnia hæc, qvæ in manifestatione obiiciuntur, ita ut ibi falsò narratur, revera evenissent, qvid ex inde? num ideo opprimenda erat ex integro armis hostilibus Libertas? num vicino Polona subdere colla jugo? num ad extrema qvævis, eaqvé inaudita confugiendum, summa imis miscenda, & Regnum inimicorum direptioni & ruinæ exponendum? Numne paci & tranqvillitati internæ præferenda dissidia, simultates vel odia? aut numne omnis orbis Polonus exinde, qvod paucorum voluntatibus non fuerit litatum aut satisfactum, ultimæ committendus erat ruinæ & excidio?

Si veri patriæ amatores essemus, sacrificandum esset utiqve proprium interesse, dissimulandæ offensæ propter bonum pacis, etiam errores, si adessent, tolerandi; verbo dicam, ad evitandum majus, perferendum etiam esset minus malum.

Proinde DEO & orbi respondebunt, qvi qvalicunqvé motivo non solùm civilis in Polonia, sed generalis

 per

per Europam belli excitandi incentores erunt. Neſcio qvânam ratione ſe poterunt excuſare à tam enormi crimine; qvem prætextum aſſument? qvem colorem? dum chriſtianus ſanguis effuſus clamabit vindictam ad cælum; dum Polonâ Libertate oppreſſâ digito qvisqve monſtrabit fatalis ſui caſus authores, ſeriqve nepotes in fauſtum eorum repetent non ſine lachrymis nomen.

En habes Amice, ſimplicem & à veritate non aberrantem narrationem. Erit forſan aliqvis claræ veritatis impugnator: at noli fidem præbere; recens memoria facti, vivaqvé tot & tantorum virorum teſtimonia non permittent illam obfuſcari. Vale, me ama & Patriæ bene velle perge.

Manifestatio Statuum Reipublicæ ad Campum Electoralem pro Electione Novi Regis die 25. Augusti Anno 1733. congregatæ, facta.

No. 1.

Nos Senatores Spirituales & Sæculares nec non integer ordo eqvestris Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Littvaniæ præsenti, & futuris sæculis ad memoriam injusti ausûs notum facimus: qvòd qvemadmodum initas cum Serenissimis *Potentiis* nobis vicinis amicitias pacta & fœdera religiosissimè conservavimus, eorundemqvé inviolabilem manutentionem, ultimâ generali omnium Ordinum Confæderatione nomine nostro & serenissimorum Regum nostrorum spopondimus, ita & impræsentiarum non studio nocendi vicinis nostris (nam Deus cordium nostrorum testis est & judex) sed usitatâ & hactenus continuatâ à fatis Serenissimi Sigismundi Augusti praxi, & in fundamento Privilegiorum, Constitutionem & Pactorum cum Serenissimis Regibus Nostris conventorum, huc, in locum solitum, Varsaviam inter & villam Wola situm, convenimus congregatiqvé sumus, ut ibidem liberis & concordibus vocibus pro velle nostro, tanqvam gens libera, nulli coactè parere assveta Dominum & Regem eligeremus. Ubi cùm consilia nostra ad actum Electionis & ad Statum nostrum pertinentia pacatè incæpissemus, nulla cum vicinis nostris bella meditantes (propria non aliena curando) certa ad nos pervenit notitia, qvòd copiæ militares Czareæ Majestatis in Ducatum Littvaniæ irruperint & ulterius ad confinia Regni Poloniæ progressæ sint, eo fine ut liberam Electionem nostram nulli pror-

prorſus alienæ diſpoſitioni ſubjectam legibus arbitrii ſui ſubmittant, jus cardinale Electionis violent; Pacta & fœdera nobiſcum inita, ac ipſum *Tractatum* ad *Pruthum* factum rumpant, utqvé Patriam noſtram nulli culpæ obnoxiam ad incitas redigant, Pharſalicas acies in ea excitent, ſangvineqvé innoxio terras noſtras perfundant. Idcirco deficiente ulterioris patientiæ alimento, de ſumma violentiſſimaqvé injuria, pro defenſione maximè fundamentalium Jurium noſtrorum liberæ Electionis majorum noſtrorum ſangvine comparatæ, & hactenus à nullo unqvam è vicinis noſtris violatæ; de injuſto & illicito harum Czáreæ Majeſtatis copiarum in Dominia noſtra ingreſſu & irruptione; terrarum noſtrarum, ſine nulla juſta cauſà, deſolatione, aliisqve violentiis, coram Deo, coram Univerſo orbe, nec non coram ipſis Sereniſſimis Monarchiis nobis conterminis ſolenniter proteſtamur, *manifeſtamurqve*, imo etiam per ſpeciales literas & inſtrumenta hasce injurias & violentias Sereniſſimis iisdem Poteſtatibus qvam primum denuntiabimus, unâ declarantes qvòd non *offenſivè*, qvod DEus avertat, ſed jure naturalis & cuivis licitæ defenſionis, pro hisce juribus cardinalibus & Privilegiis liberæ Regum noſtrorum Electionis, tanqvam veri Majorum noſtrorum ſucceſſores ſangvinem, vitam & fortunas noſtras impendemus. Invocamus in auxilium eum cujus juſta ultio proſeqvitur ſontes. Benedicet DEus & proſperam reddet juſtam hanc & innoxiam jurium, libertatum & immunitatum noſtrarum defenſionem; ipſumqve ultima pro nobis vibrabit fulmina cælum. Qvoniam verò tam ex literis univerſalibus Moſchoviticis, qvam volitante famâ dolenda ad nos pervenit notitia, ac ſi nonnulli ex Statu ſive ſpirituali, ſive ſæculari reperti fuerint, qvi datâ operâ haſce extraneas militares copias invitarunt, ut liberam electionem vi & armis interturbando, deſideratum tranqvillitatis internæ & externæ ſtatum tollerent: Ideo hoſce degeneres Patriæ filios tanqvam monſtra naturæ & verè genimina viperarum, in

viſcera

viſcera propriæ matris ſævientia, mater Patria pro legitimis filiis non agnoſcit, qvinimo eos de libro viventium delet; educatos in aurea & inæſtimabili libertate, tanqvam indignos qvi pretioso hoc libertatis theſauro, cui inſidias ſtruunt, fruantur, reſecat tanqvam putrida & igne infernalis malitiæ infecta membra à corpore Reipublicæ, abjurat eos tanqvam degeneres & qvi cum legitimis nullam portionem habere debeant: omnesqvé illos qvi eidem communi matri violentas manus inferre auſi ſunt vel in poſterum audebunt, declarat hoſtes patriæ, perduelles, infames, & invindicabilis capita; æqvè ac eos omnes qvi ſe illis in poſterum conjungent, implicabuntur, aut illis directè vel indirectè opem ferent: utpote cùm omnes illi ſint capitales hoſtes Patriæ, qvi in Patriam hoſtiles copias introducunt, ut earum operâ ſangvinem & lachrymas pauperum profundant. Tota itaqve Reſpublica appromittit ſe contra talem & tales inſurrecturam; bona illius vel illorum, ſive ipſis ſuccedentium occupaturam, publico fisco eadem bona tradituram, prævia tamen præmiſſorum judiciali deductione, ſtante Electione in judicio generali capturali Regni; poſt Electionem verò, in futuris Comitiis Coronationis. Ex bonis autem fisco, ut dictum eſt, traditis providebitur juſta compenſatio iis omnibus, qvi per dictas copias impiè introductas, ruinas, injurias & fortunarum ſuarum deſolationes patientur. Domus, in qva talis vel tales ordinariè habitant, in æternum proditionis monumentum ſolo æqvabitur: nec ulla unqvam ipſis ſpes amneſtiæ, vel ad æqvalitatem regreſſûs concedetur. Adhæc eorum uxores Juribus & inſcriptionibus dotium ſuarum gaudere, aut ſeſe tutari non poterunt. Si vero hujus criminis reus reperietur aliqvis ex Illuſtriſſimis ac Reverendiſſimis Epiſcopis, talis præeminentiâ, auctoritate & activitate in congreſſibus publicis carebit: Proventus vero bonorum illius Epiſcopalium retinebuntur, nec illi usqve ad deciſionem juſtitiæ conformem, taliqvé delicto condignam extradentur. Cavemus

inſuper

insuper ne ullus ex illustrissimis Episcopis & Senatoribus sæcularibus, durante hoc turbulento tempore, è ditionibus Regni migrare, aut qvempiam extra Regnum ablegare præsumat: sub pænis de perduellibus sancitis & confiscatione bonorum, ac privatione honorum. Qvi verò impræsentiarum extra limites Regni degunt, in spatio qvatuor septimanarum à data præsentium revertantur; si autem non redeant, pænis suprascriptis subjacebunt. Pro majori autem hujus Manifestationis robore, omnes illi manibus nostris subscribimus; qvi vero ei subscribere recusaverit tam ex Illustrissimis Episcopis, Senatoribus & Ministris, qvàm ex ordine eqvestri utriusqve gentis & statûs, ille eo ipsò pro hoste patriæ censendus erit. Datum in Campo Electorali inter Varsaviam & villam Wola die 4. Septembris Anno Domino 1733.

THEODORUS POTOCKI,

ARCHIEPISCOPUS & PRIMAS.

Joannes Lipski, Episcopus Cracovien. Procancellarius Regni.
Christophorus Antonius Szembek, Episcopus Vladislaviensis & Pomeraniæ.
Stanislaus Hosius, Episcopus Posnaniensis.
Michael Zienkowicz, Episcopus Vilnensis.
Andreas Załuski, Episcopus Plocensis.
Christophorus Joannes Szembek, Episcopus Varmiensis & Sambiensis, Præsidens Terrarum Prussiæ.
Joannes Felix Szaniawski, Episcopus Chelmensis Abbas Wochocensis.
Samuel de Oza Ozga, Episcopus Kijoviensis & Czerniechoviensis.
Constantinus Moszyński, Episcopus Livoniæ.
Boguslaus Corvinus Gosiewski, Episcopus Smolenscensis.

Janus-

Janussius Wisniowiecki, Castellanus Cracoviensis.
Theodorus Lubomirski, Palatinus Cracoviensis.
Georgius Lubomirski, Palatinus Sandomiriensis.
Casimirus Princeps Czartoryski, Castellanus Vilnensis.
Josephus Oginski, Palatinus Trocensis.
Alexander Szembek, Palatinus Siradiensis.
Joannes Sapieha, Castellanus Trocensis.
Andreas de Lubraniec Dąbski, Palatinus Bresten. Kujavien.
Josephus Potocki, Palatinus & Generalis Terrarum Kijoviensium.
Ludovicus Szołdrski, Palatinus Inovladislaviensis, Terrarum Majoris Poloniæ Generalis.
Augustus Alexander Princeps Czartoryski, Palatinus & Generalis Terrarum Russiæ.
Michael Potocki, Palatinus Volhyniæ.
Stephanus Humiecki, Palatinus Podolliæ.
Joannes Tarlo Palatinus Lublinensis Terrarum Podoliæ Generalis.
Antonius Michael Potocki, Palatinus Belzensis.
Franciscus Zaluski, Palatinus Plocensis.
Martianus Oginski, Palatinus Witebscensis.
Stanislaus Ciołek Poniatowski, Palatinus Mazoviæ.
Joannes A. Czapski, Palatinus Culmensis.
Petrus J. Przebendowski, Palatinus Mariæburgensis.
Joannes Koscieſza Zaba, Palatinus Minscensis.
Antonius Morsztyn, Palatinus Livoniæ.
Josephus Potulicki, Palatinus Czerniechoviensis.
M. Kozminski, Castellanus Posnaniensis.
Matthias Mycielski, Castellanus Calissiensis.
Petrus Constantinus Stadnicki, Castellanus Woynicensis.
S. Garczynski, Castellanus Gnesnensis.
Antonius Mycielski, Castellanus Siradiensis.
J. Skarbek, Castellanus Lanciciensis.
Franciscus Michael Moszczynski, Castellanus Brestensis Kujaviensis.

Casimirus Stecki, Castellanus Kijoviensis.
Stanislaus Garczynski, Castellanus Inovladislaviensis.
Martinus Josephus Ustrzycki, Castellanus Leopoliensis.
Carolus Wyżycki, Castellanus Volhyniæ.
Joannes de Campo Scipion, Castellanus Smolenscensis.
Joannes Franciscus Sołtyk, Castellanus Lublinensis.
Joannes Stadnicki, Castellanus Belzensis.
Antonius Oskierko, Castellanus Novogrodensis.
Nicolaus Podoski, Castellanus Plocensis.
Georgius Tyszkiewicz, Castellanus Witebscensis.
Casimirus Rudzinski, Castellanus Cernensis.
Victorinus Kuczynski, Castellanus Podlachiæ.
Venceslaus Trzcinski, Castellanus Ravensis.
Valerianus Antonius Żaba, Castellanus Brestensis in Littvania.
Samuel Lazowy, Castellanus Mscislaviensis.
Bartholomæus Bagniewski, Castellanus Elbingensis.
Joannes Potocki, Castellanus Braclaviensis.
Franciscus Czapski, Castellanus Gedanensis.
Andreas Michael Morsztyn, Castellanus Sandecensis.
Michael de Konary Konarski, Castellanus Vislicensis.
Franciscus Rozdrazewski, Castellanus Rogozinensis.
Petrus Dębinski, Castellanus Biecensis.
Petrus in Skrzynno Dunin Castellanus Radomiensis.
Stanislaus Rupniewski, Castellanus Malogostinensis.
Nicolaus Soltyk Castellanus Premisliensis.
Josephus Grabinski, Castellanus Sanocensis.
M. Miączynski, Castellanus Chelmensis.
Stanislaus Corvinus Kockanowski, Castellanus Polanecensis.
Casimirus Włostowski, Castellanus Kryvinensis.
Josephus Zborowski, Castellanus Czechoviensis.
Adamus de Werbno Pawłowski, Castellanus Biechoviensis.
Josephus Walewski, Castellanus Brezinensis.
Joannes in Krąkow Krąkowski, Castellanus Kaminensis.
Casimirus Walewski, Castellanus Spicimiriensis.

Jose-

Josephus Jaxa Kwiatkowſki, Caſtellanus Inovlodenſis.
Adalbertus Weſſel, Caſtellanus Varſavienſis.
W. Lanckoronſki, Caſtellanus Goſtinenſis.
Stanislaus Niſzczycki, Caſtellanus Raciązenſis.
Theodorus Moſtowſki, Caſtellanus Sierpſenſis.
Caſimirus Zurawſki, Caſtellanus Wiſſogrodenſis.
Vincentius Caſimirus Mirzejewſki, Caſtellanus Zakrocimen.
Vladislaus Grzegorzewſki, Caſtellanus Ciechanovienſis.
Alexander Przebendowſki, Caſtellanus Livoniæ.

Joſephus Mniſzech, Supremus Regni Mareſchallus.
Michael Korybuth Princeps Wisniowiecki, Supremus Magni Ducatûs Littvaniæ Cancellarius & Exeecituum Regimentarius Generalis.
Michael Princeps Czartoryiſki, M. D. Littvaniæ Procancellarius.
Maximilianus Oſſolinſki, Supremus Regni Theſaurius.
Joannes Sołłohub, Supremus M. D. Littvaniæ Theſaurarius.
Franciſcus Bilinſki, Mareſchallus Curiæ Regni.
Paulus Princeps Sanguszko, Mareſchallus Curiæ M. D. Littvaniæ.
Martinus Załuſki, Suffraganeus Plocenſis Secretarius Major Regni.
Joſaphat Michael Karp, Secretarius Major M. D. Littvaniæ.
Joſephus Załuſki, Referendarius Regni, Abbas Premecenſis.
Georgius Caſimirus Ancuta Epiſcopus Antipatrenſis Suffraganeus Vilnenſis, Referendarius M. D. Littvaniæ.
Antonius Sebaſtianus Dębowſki, Referendarius Regni.
Dominicus Wołłowicz, Referendarius M. D. Littvaniæ.
Joſephus Sapieha, Theſaurarius Curiæ M. D. Littvaniæ.
Kryſzpin, Caſtellanus & Colonellus Generalis Ducatûs Samogitiæ.

Franciſcus de Bnin Radzewſki, Succamerarius Poſnaniæ, Mateſchallus Ordinis Eqveſtris, nomine totius Ordinis Eqveſtris: nec non réferendo ſe ad particulares Manifeſtationes in ſeorſivis copiis in circulis Palatinatuum, Terrarum & Diſtrictuum ſubſcriptas; qvæ qvidem copiæ Manifeſtationum ſubſcriptæ, qvamvis hic propter farraginem operis præſentis non inſerantur, in Caſtro tamen circa oblatam præſentis actûs inſertæ ſunt.

---

o. 2.

Copia Literarum Capitanei Opocinenſis Małachowski ad Dapiferum Regni Mycielſcium, in Końskie 20. Septembris 1733. Varſaviam datarum.

Illuſtriſſime Domine &c.

Non exiguæ id attribuo impolitiæ meæ, qvòd ſine gratiarum actione, fraternoqvé amplexu ſeceſſerim, cùm ſemper, præſertim verò tempore præſentium Comitiorum, affectum erga me benevolum, gratiamqvé Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ expertus fuerim. Temporis ratio adegit me ut inurbanè adeò agerem: audito enim Moſchos ex una parte, Imperatorias copias ex altera imminere, feſtinare coactus ſum, ut domui meæ conſulerem, uxoremqve & liberos ab inſultibus minitantium nobis vicinarum Poteſtatum in tuto ponerem. Eadem qvoqve ratione adductus, eum non inclamavi Regem, qvem DEus ipſe admiran-

mirandis prodigiis nobis ad Thronum indigitavit. Seceſſio hæc tamen, non ita me à Domino abalienavit, qvin ad adorandam ejus Majeſtatem accurram. Uti liber eqves, domum petii; non tamen illuc perrexi, ubi in qvampiam nimiæ cum Moſchis familiaritatis cenſuram incurrere potuiſſem. Nullibi invenientur literæ meæ, qvæ publicæ noceant tranqvillitati. Mammonæ iniqvitatis non fui particeps: atqve adeo nullis partium ſtudiis adeo inhæſi, qvin reliqvum mihi ſit mutare conſilium & rem in melius. Illuſtriſſimi Domini Palatini Podoliæ literæ, me primùm Regiæ benignitatis certiorem reddiderunt, modò reſpiciendo retro greſſus non faciam. Libenter id adimplevi, & freqventiores hucusqé apud me de re frumentaria & pecuniaria auditi ſunt ſermones, qvàm de publicis. Traduntur mihi jammodo literæ Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ fraternum ejus affectum, mentem & conſilium deferentes. Omnia hæc grato animo accipio, nec perhorresco viam, qvæ me ad viſionem Domini mei adductura eſt: ſperans manum Regiam non gravem, qvin potius benignam mihi futuram. Pro certò igitur, die Saturni proxime futuro Varſaviam adveniam: ibiqve Divinæ & Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ voluntati me in omnibus accommodabo: permanens debita cum veneratione Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ addictiſſimus frater & ſervus. *Subſcriptum.* J. Małachowſki.

Copia Teſtimonii dati ab Epiſcopis qvi adfuerunt Electioni inter Varſaviam & villam Wola peractæ. No.

Nos Epiſcopi in campo Electorali præſentes, liberamqvé novi Regis Electionem diligentiſſimè obſervantes, atteſtamur ſub fide, honore & conſcientiis noſtris, qvòd cùm

cùm omnium Palatinatuum, Terrarum & Diſtrictuum utriusqvé Gentis, tam Regni Poloniæ, qvàm Magni Ducatûs Littvaniæ inclinata eſſent vota in perſonam Sereniſſimi Regis STANISLAI ad Regni hujus habenas aſſumendas, ac ad triplicem Celſiſſimi Principis ac Primatis Regni ab Electore populo reqviſitionem concordia univerſæ ſub Signis Nobilitatis inſtarent ſuffragia & urgentia deſideria, ut idem Sereniſſimus Rex STANISLAUS in Regem Poloniæ ſine ulteriori mora nominaretur ac proclamaretur: idem Solennis actus nominationis ac proclamationis eſt ſubſecutus & expeditus unanimiter NEMINE CONTRADICENTE; nonnullis qvidem Senatoribus in campo Electorali diſparentibus, qvi pro abſentibus reputabantur, nec per qvemqvam Electioni huic reclamaverunt: præter ſolum Magnificum Dominum Kaminſki, Phalangis unius, Palatinatûs Volhyniæ ex diſtrictu Cremenecenſi Colonellum, qvi tamen ipſe ex nunc liberè & conformiter ad totius Reipublicæ voces & vota ab oppoſitione ſua receſſit, ac ſuffragium ſuum Sereniſſimo Regi STANISLAO ad majus liberæ Electionis robur, poſt ſpontaneum à contrario liberoqvé ſenſu receſſum adjunxit. Datum Varſaviæ die decimâ ſeptimâ Menſis Septembris, Anno Domini 1733.

Michael Joannes Zieńkowicz, Epiſcopus Vilnenſis.
Andreas Załuſki, Epiſcopus Plocenſis.
Chriſtophorus Joannes Szembek, Epiſcopus Varmienſis & Sambienſis.
Joannes Felix Szaniawſki, Epiſcopus Chelmenſis.
Samuel Joannes de Oſſa Ozga, Epiſcopus Kijovienſis.
Conſtantinus Moſzynſki, Epiſcopus Livoniæ & Piltinenſis.
Boguslaus Corvinus Goſiewſki, Epiſcopus Smolenſcen.

Manifestatio eorum qvi se Pragam receperant tempore Electionis.

Qvis unqvam dubitare potest qvin nobis coram Throno supremi ac tremendi Judicis comparituris & publicum totius Patriæ dolorem (a) delaturis justitia & bonitas Dei favere debeat? Obstupescet qvivis & mirabitur si coram toto terrarum orbe exposuerimus hunc in ruinam Patriæ tendentem conjuratorum fatorum concursum. Experta jam est Respublica similes infaustos casus, nunqvam tamen adeo vicina fuit totali ruinæ, qvàm in modernis circumstantiis, utpote in qvibus intentatur illi fatalis ictus, qvo simul & semel omne id qvod illam vivificat & conservat, perimitur (b). Gloriantur variæ Orbis Monarchiæ qvòd Deus & natura omne operæ pretium in eo posuisse videatur, ut eas pretiosissimis qvibusqvé thesauris cumularet: id tamen omne æqviparari neqvit inæstimabili libertatis nostræ gemmæ, qvæ omnes præterit orbis opes. Hæc tamen pretiosa libertas, præsenti infelici, eoqvé satis brevi tempore apud plures repente adeo suum amisit valorem, ut, prô dolor! privatis commodis tanti pretii res postponatur. Testatur id præsens, nunqvam satis dolenda electio, in qva omnium malorum impletur mensura (c) & perqvam Electoralis campus in theatrum scissionum immutatus est (d). Obstupescet sera ætas: *Qvis Deus hæc in nos furentia concivit mala!* cùm luctuosos præsentis Electionis actus, novam & nunqvam hactenus usitatam illius *formam* (e) cernet:

(a) Grandia verba a imponendum populari cre dulitati composita, qvæ tamen nihil qvidqvam Ver habent.

(b) Id omnino verum est cùm eorum qvi se à Reipublicæ corpore separaverun conatus, ad nihil aliud te dant, qvam ad eversione Statûs Reipublicæ.

(c) Pudenda exaggeratio cui enim vel minimum malum attulit hæc Electio? Il li qvi partium studio à C mitiorum loco fecisserunt omnium qvæ Reipublicæ imminent malorum, soli causa sunt.

(d) Campus Electorali non scissionum, sed mirabilis planè concordiæ theatrum fuit: cum 60. & qvòd excedit millia hominum nemine prorsus reclamante au contradicente, eundem Regem inclamaverint.

(e) Evolvantur precedentium Electionum acta & cum præsenti Electione conferantur. Nihil prorsus novi, nihil inusitati in ea fuisse, qvisqve etiam obstinatissimus fateri debebit.

net: qvandoqvidem everſo conſvetorum & legibus præſcriptorum graduum (f) ordine; prætermiſſis, qvod cardo rei erat, exorbitantiis (g) itum eſt ad eligendum in Regem, eum qvem jam aliqvot perſonæ apud ſe prælegerant (h) idqvé minitantibus qvibusdam excidia, mortes, fortunarum devaſtationes (i) ſi qvis auderet per leges ſibi conceſſâ uti libertate, aut ſi qvis his qvæ in præjudicium legum & liberi *veto* fiebant, tacito ſaltem non conſentiret ſenſu. Pro libertate ejusmodi ſumpta eſt libertas qvæ nullam ſpeciem veræ libertatis præſeferebat (k) adeo, ut nec ipſi perſonarum ſecuritati, qvæ legibus ſancita eſt, proviſum fuerit, nonnulliqve ſuæ ipſorum ſecuritati, publicæ diffidentes, providere coacti fuerint (l). Videntes id noſtri Senatores Spirituales & ſæculares, nec non ordo noſter eqveſtris (m) impetu patientiam noſtram ſuperante & ſalutaris conſilii (n) ſvaſu coacti ſumus qværere hìc liberiorem auram: qvandoqvi-

(f) *Qvinam gradus o-iſſi ſunt? Nonne electus ſt cum omni ſolennitate Mareſchallus? Nonne Ordo enatorius Eqveſtri conjunctus? Nonne dies exqvirenis ſuffragiis præfixa? Nonne ab omnibus Palatinatius, Terris, & Diſtrictibus xqviſita per Primatem ſuffragia? Nonne tribus, ut erit ſolet vicibus poſtulam, an adſit univerſalis nſenſus?*

(g) *Qvòd exorbitantiæ Comitia Coronationis rectæ ſint, nihil in ſolitu: m in omnibus præcedentiElectionibus, eodem prormodo rejectæ fuerint: amvis in Convocationi præcedentibus ſemper apmitteretur, qvòd in Coitiis Electionis pertactanæ eſſent.*

(h) *Nemo certe per vim Regem imponere Genti Polonæ cogitabat: qvomodo enim* aliqvot *perſonæ ut hic dicitur, nullo præſertim exercitu extranco adjutæ: tantam nobilitatis multitudinem coëgiſſent? Si autem verum dicendum eſt, non* aliqvot, *ſed tota fere gens Polona in nimo habebat Regem* STANISLAUM, *ut eventus demonſtravit.*

(i) *Id omnino à veritate alienum eſt: Dicatur enim qvæſo cui unqvam & à qvo hujusodi minæ intentatæ ſint? Capitaneus Opocinenſis, & Kaminſcius ipſe, qvi cùm maximè nobilitas ferveret, ſuum* veto *interjecit, an ullas vel minas, vel violentias tulit?*

(k) *Tautologia omnino inepta. Proprium ſcilicet calumniantis eſt, cùm nihil criminis vod objiciat habet, verbis generalibus, qvæ nec intelligi ſatis poſſint, criminari.*

(l) *Qvo tandem alio modo ſecuritati perſonarum provideri potuit? An ad hunc finem militares copiæ extraneorum Principum advocandæ erant, ut ſecuritati qvorundam, ſuæ propenti, ob malam conſcientiam, & ſine ullo fundamento, diffidentium conſuleretur? Sed prætextus id eſt, qvem aucupati ſunt illi, qvi ſe à Corpore Reipublicæ ſegregare conſtituerant, ut ſub hoc ſpecioſo colore à loco comitiorum ſecederent.*

(m) *Ex ordine eqveſtri præter domeſticos, eorum qvi Pragam ſeceſſerant Senatorum, vix uisqvam alius fuit.*

(n) *Seu potiùs:* ambitûs & privati commodi.

doqvidem nobis exotici auri pondus (o) liberum refpirium adimebat. Cùm vero in eo effemus numero, qvi notabilem Reipublicæ partem (p) conftituit, dolebamus fuper publica totius Reipublicæ infelicitate & fuper fublatis funditus legibus: ac provido confilio, prævioqve manifefto publico (q) admonuimus in qvo lædebatur Lex & convellebatur liberum *veto*, & qvanta mala ex tam noxiis intentis Reipublicæ imminebant. Non folùm fraternæ & falutares noftræ intentiones, fed ipfæ perfonæ noftræ (r) in nulla prorfus fuerunt, (infelici hoc tempore qvo finguli fua commoda qværunt) confideratione: adeo ut aliqvi noftrum à nominatione fuerint exclufi (s) & tanqvam ad ludibrium vocati: (t) fiqvidem miffi ad nos Legati, qvi nos invitarent, ut morientis libertatis effemus Spectatores, nec dum id qvod in commiffis habebant nobis explicaverant, (u) intonuit triftis tormentorum bellicorum fragor, qvi nobis interitum libertatis, & cum ea cadentem internam & externam fecuritatem annuntiavit. Qvis igitur tam duri cordis reperietur, qvis tanto erga Patriam odio, ut non fentiat tantam ejus perniciem? ut illi commune nobiscum auxilium non ferat: (w) ut ad reftaurandam jam proftratam libertatem non accurrat? ut nobis fe ad tuendas leges & Prærogativas nobilitares non conjungat? Loco liberæ electionis vio-

(o) Id certè intelligi nu[...] latenus poteft: qvomodo ex[o]tici auri pondus libertate[m] in campo Electorali adim[e]re potuerit? cùm præferti[m] Pragæ Mofchoviticum fe[...] Saxonicum aurum libert[a]ti minimè nocuiffe; qv[...] etiam hoftile ferrum ea[...] juviffe prætendatur.

(p) An verò aliqvot Se[...]natores cum fuis domeftici[s] nullo Palatinatu, nullâ T[...]râ nullo Diftrictu comita[...] notabilem Reipublicæ p[...]tem *conftituant, qvis[...] judicet.*

(q) Nullum manifef[...] in Campo Electorali ante [...]gis nominationem, aut [...] die nominationis unq[...] vifum eft: abfentium pr[...]ftationes nihil valere om[...]fciunt.

(r) Qvi Pragam fec[...]rant pluries à Delegat[...] Republicâ Senatoribus, [...] femper fruftra, invitati [...]

(s) Qvis illos exclu[...] nifi ipfi femetipfos: Qvin[...]mo palam dixerunt, fe nu[...]latenus velle impedire cu[...]fum Electionis qvamvis [...] loco Comitiorum feceffiffen[...]

(t) Non ad ludibrium, fed feriò ex mente totius Reipublicæ invitati: qvamvis Refp[...]blica in Campo Electorali congregata ad id non teneretur: cùm unicuiqve liceat, fi velit, [...] loco Comitiorum abeffe.

(u) Jam fuam Legationem Legati, irrito eventu peregerant: & priusqvàm rediiffent d[...]lata eft ad Campum Electoralem notitia qvod nihil effeciffent. Hâc notitiâ accepâ tum d[e]mum Nominatio facta eft & tormenta explofa.

(w) Id demum intolerabile eft ut peremptores libertatis, libertatem peremptam clament.

violenta facta est Regis impositio. (x) Loco liberæ vocis, imperiosæ minæ; sunt auditæ. Liberum *veto* non solum in Nominatione, sed nec in ullo alio loco observatum est. Protestationes plurium dignissimorum Nuntiorum, veluti Dominorum Opocinensis, Oswiecimensis & Mscibroviensis Capitaneorum, nec non aliorum ex Cracoviensi, Sandomiriensi, & Volhyniæ Palatinatibus Delegatorum (y) strepitu framearum suffocatæ: ora manibus obtusa: explosiones armorum velut contra hostes factæ: (z) adeo ut vix cognatæ acies secum ad pugnam & ad majus fraterni sangvinis diluvium non pervenerint. Qvidam Palatinatus vix alios Palatinatus non sunt aggressi: sicqvé in campo fuerunt dispositi, ut statim aggredi possent eos qvi liberam vocem impositioni violentæ præferrent. (A) Verbo tota Nominationis facies in triste mutata spectaculum loco prosperorum, qvi exspectari inde debebant, effectuum, infausta qvæqvé pollicebatur. Qvare repræsentatis hisce publicis injuriis, & grandi totius Reipublicæ universæ pernicie, qvotqvot amore zelo & fraterno uniti nexu ad salvandam Patriam convenimus, solennem hanc manifestationem facimus contra præsentem Electionem & omnes ejus actus: eamqve manibus nostris subscriptam tradimus Dominis Mareschallis: ad acta qvoqve Castrensia eam ad ingrossandum porrecturi, ut cæteri fratres nostri de interitu libertatis, deqvé violatis omnibus juribus qvibus æqvalitas & liberum *veto* innititur certiores reddantur. Actum Pragæ 14. Septembris Anno 1733.

✡ ✡ ✡ ✡ ✡ ✡

(x) *Aperta falsitas: qvis [e]nim Electori populo, in tan[t]o numero congregato vio[l]entiam inferre & Regem [f]orti manu imponere potu[i]sset?*

(y) *Id quoque non mi[n]us falsum est. De Opoci[n]ensi cæterisqve Capitaneis qvi contrarii sensus vide[b]antur, genuinam supra [h]abes narrationem.*

(z) *Qvis tandem occi[sus], aut qvis vulneratus est? An [Mscibro]vicensis Capitaneus? Sed tantum abest ut se op[pon]eret, ut etiam zelozis[sime] Regem STANISLAUM [pro]clamaverit, & dolendo [...], ut supra dixi, lethaliter ictus fuerit. Mera igi[tur] calumnia est factam es[se] vel minimam, contra op[pone]ntes, armorum explosio[ne]m.*

(A) *Nullo fundamento ni[titur] temeraria hæc assertio: [...] conscientia mala damnabat, mortem sibi imminere, nullo prorsus persequente imaginabantur.*